

Ubi enim duo aut tres congregati sunt in nomine Christi, ibi est Ecclesia Matth. XIIIX, 20. Etiam ubi tres, Ecclesia est, licet **Lāici**, scribit Tertullianus in Exhort. ad castit. *unusquisque enim de sua fide vivit.* Cum Ariani multitudine sua, & externo splendore, ut nunc Pontificii, superbirent: *Ubi sunt, Nazianzenus* ajebat in orat. c. Arianos, qui ecclesiam multitudine definiunt, gregemque exiguum aspernantur? Etsi proinde facile largiamur Ecclesiam Evangelicam, ante Lutherum, tam numerosam, ut nunc est, minime fuisse, sufficit tamen per omnia secula fuisse, utut paucos, qui eadem cum Luthero statuerent ac sentirent, reveraque adeo Lutherani fuerunt, utut caruerint nomine.

**§. XXXVI.** Non denique c.) officit causæ nostræ, quod *hi ipsi coetus publicos & sacra solennia, eademque a Pontificiis distincta, non celebrarunt.* Hoc enim non spectat ad Ecclesiæ essentiam, sed ad statum feliciorem, splendoremque externum, quem & abesse posse & aliquando solere, ab Ecclesia, supra monuimus, Tempore Eliæ septem millibus illis haud dubie non licuit publica celebrare sacra, & tamen veram constituerunt Ecclesiam. In triduo mortis Christi non coibant discipuli, sed dispersi erant quisque *eis τὰ ἴδια*, & tamen integritati ecclesiæ nihil decessit. Arianorum olim eo usque invaluerat perfidia, ut *Basilius epistola LXX.* conquereretur; *Domos orationis clausas esse, & altaria cultu spirituali vacare, & plane cessare Christianorum coetus.* De temporibus vero Anti-Christi ipse aliquando *Augustinus in homil. VII. in Apocal.* scribit: *tantum fore numerum malorum, ut aliquoties vix inter eos appareant justi.* Etsi proinde illis, qui ante Lutherum cum Luthero senserunt, sacra publica & solennia celebrare non licuit, hoc tamen non obstat, quo minus Ecclesiam Evangelicam potuerint constituere. Quod ipsum recentissimo, & luculento exemplo probabimus.

**§. XXXVII.**